



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXIX. Fridericus III. XLVIII. Arch. XXXII. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

LXVII. ENGELBERTVS III. XLVI. ARCH.
XXX. ELECTOR.

Engelbertus III. Comes Altenanus Adolphi patruus, à multo tempore jam Leodii Episcopus, Coloniensem Infulam non ambiit, longè minùs postulavit, postulatus nihilominus ipse ab electoribus Canonicis, & à Pontifice confirmatus annos 4. Elector senex numeravit, solitudinis, quàm publici honoris avidior.

LXVIII. CVNO. XLVII. ARCH.
XXXI. ELECTOR.

Cuno ex familia Falckensteiniana Comes Engelberto Coadjutor, ut vocant, datus, brevi temporis spatio multa præclare egit; contracta enim debita expunxit; ditio- nes novas, atque inter has Comitatum Arensbergicum dato auro comparavit, nec non res priùs admodum turbatas composuit; tum verò curarum satur Pontificatu se abdicavit, non nisi 2. annorum Elector.

LXIX. FRIDERICVS III. XLVIII. ARCH.
XXXII. ELECTOR.

Fridericus Comes de Saaryverden, invito Carolo IV. Imperatore Joannem Argentorati Episcopum nepotem suum offerente est confirmatus in Colonia Solio. Profuit nimirum Friderico plurimum, notum esse Romano Pontifici Gregorio XI. quocum literis quondam Bononiæ navavit operam, Italis jam tum acceptus Germanus. Inter gesta per annos 44. Friderici præclara numerarunt spectatores ea maximè, quibus imposuit coronam Imperatoribus tribus, nimirum Wenceslao, Ruperto & Sigismundo. Eodem authore, aut certè adjutore an. 1388. surrexit Athenæum Colonienſe ab Urbano VI. raris privilegiis munitum.

Z

SE-